

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0899

0897

0903

0893

0908

0888

0948

0848

0998

0798

0398

Ende

Anfang

326

Maximis abstinentiis se macerant in tantum, ut saepe se  
fame perimant.

VI. Nestoriani.

Sunt in Jerusalem Christiani, Nestoriani, pessimis  
erroribus depravati, circa Dei genitricem et ejus filium mul-  
tipliciter errantes. Credunt in Christo duas naturas et duas  
personas, et beatam Virginem Mariam dicunt matrem Christi  
hominis, sed non filii Dei. Chaldaea lingua utuntur in suis  
divinis et in fermento consciunt.

VII. Armeniani.

Sunt in Jerusalem Christiani, dicti Armenii, involuti  
multis erroribus: inter hos et Graecos est maxima semper  
discordia propter rituum varietatem; linguam propriam et  
litteras singulares habent. Natalem Domini jejunant nec cele-  
brant, sed Epiphaniam propter Christi baptismum summo ho-  
nore venerantur, arctissime XL observant, in tantum, ut  
nec pisces nec oleo nec vino utantur, legumina tamen et  
fructus manducant, quotiens placet, omnibus horis, quia non  
putant istis frangi jejunium. Aquam non ponunt in confe-  
ctione sacramenti. Feriis sextis carnes manducant. Infantes  
communicant. Nullam vigiliam nec quatuor tempora jejunant,  
nec quadragesima, in qua etiam dominica die arctissime ab-  
stinent. De purgatorio nihil tenent et de Christo sicut Jaco-  
bini errant.

VIII. Gregoriani. [Georgiani.]

Sunt in Jerusalem Gregoriani, dicti Christiani, de  
genitura viri bellicosi, in tantum, ut in toto oriente timeantur,  
et securi sine pedagiis transeunt, quo volunt. Eorum mulieres  
sicut viri armis utuntur. Inter eos et Armenios est implacabile  
bellum. Infecti sunt paene omnibus Graecorum erroribus. Pro-  
lixas ferunt barbas ut caeteri orientales.

IX. Maronitae.

Habent in Jerusalem Christiani, dicti Maronitae,  
haeretici, in Christo tantum unam voluntatem aut operationem

